



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatum Serie Vigessimvm-Octavvm De Matrimoniis, &
Sponsalibus, cum Indicibus necessariis

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

Quæ sint impedimenta impediencia tantùm. Pun. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76659)

aus irritus, & nullus. Poteft autē Ecclesia matrimonij contra-
ctum inter has, vel illas personas, vel absque hac, & illa so-
lemnitate celebratum irritum, & nullum decernere, aliter fa-
ctum validum statuere. Quo postro decreto Sacramentum
matrimonij inter illas personas inhables, vel absque illa so-
lemnitate ab Ecclesia requisita nullum erit, quia nullus est
contractus, cui ratio Sacramenti inniti debebat.

Alteri à Pontifice datum non est matrimonij impedimenta
fidelibus statuere: nam esto Episcopi in sua diecesi hanc
potestatem habent ex vi sui muneris, vt docet Couarrua. 4.
decret. 2. p. cap. 6. §. 1. Sanch. lib. 7. disp. 1. Basil. lib. 6. c. 1. in fine.
Galpar Hurtado disp. 12. difficult. 2. num. 5. quod negant Sua-
rez 1. 5. de censur. disp. 7. sect. 4. n. 5. Coninch. disp. 30. dub. 1. n. 3.
& 8. At certum est de facto ea potestate carere, solumque Ponti-
fici referuari, vt docent Couarrua. Sanch. Basil. & Coninch. locis
allegatis. Et Paul. Laym. lib. 5. sum. tract. 10. 4. p. c. 1. eo quod ma-
trimonij impedimenta statuere censetur causa grauissima,
quæ merito à prima Sede prouenire debent.

Hinc inferitur nullatenus Magistratibus ciuilibus Christianis
permisum esse circa matrimonia fidelium disponere ea
impediendo, vel irritando, aliòve modo mutando. Argumē-
tum de ordine cognitionum. Cap. multorum 3. §. 6. Cap. cum se-
cundum Apostolum, de secundis nuptiis. Et colligitur ex Tri-
dent. sess. 24. can. 12. Quippe matrimonia fidelium Sacramenta
sunt, ac proinde eorum dispositio penes Ecclesiam esse de-
bet, vt rectè Bellarmin. lib. 1. de matr. cap. 32. Quapropter et si
Coninch. disp. 30. dub. 1. num. 7. Sanch. lib. 7. disp. 3. à n. 2. Hen-
riq. lib. 12. cap. 1. initio, censent fideles subiectos Principibus
Ethnicorum, astringi impedimentis iuxta leges eorum ciui-
lis statutis, eo quod matrimonium est Sacramentum sit, est
tamen contractus potestati ciuili subiectus, sicut omnes alij
contractus, longè verius est ab illis impedimentis exemptos
esse, & solum impedimentis ab Ecclesia statutis ligari. Tum
quia fidelium matrimonium eo ipso quo à Christo in Sacra-
mentum eleuatum est definit esse contractus ciuilibus, & politici-
cas, & sit sacer, & Ecclesiasticus, ac proinde soli Ecclesie
subiectus. Tum quia Ecclesie plurimum interest, vt omnes
eius subditi vniuersales sint in matrimonio contrahendo. cre-
dendumque est, vt hæc seruetur vniuersitas fideles sibi sub-
ditos exemisse à legibus de matrimonij valore, vel nullitate
disponentibus: sicut tradunt Sotus in 4. d. 42. q. 2. art. 2. Co-
uarrua. 4. decret. 2. p. c. 6. §. 1. Basil. lib. 6. cap. 2. à n. 3. Layman. lib.
5. sum. tract. 10. 4. p. c. 1. n. 3. Galpar Hurtado disp. 12. de matr.
difficult. 2. num. 7. Possunt tamen prædicti Magistratus plura
decernere, quæ matrimonij substantiam nec mutant, neque
impediunt, sed sunt illi extrinsecæ, & accessoria, vt circa do-
tem, circa arras, & sponsalium largitatem, donationem
inter coniuges, & familia, vt bene aduertit Basil. Ponce, lib. 6.
cap. 2. in fine num. 5.

Consulto dixi non posse Magistratus sæculares aliquod
impedimentum annullans matrimonium fidelium statuere,
tante indicatæ optime posse pro matrimoniis infidelium
qui sibi subdantur ea impedimenta decernere. quæ recto re-
gimini sibi visa fuerint conuenire, quia eorum matrimonium
est contractus ciuilibus, & politicus, ac proinde factus potestatem
habent defendendi leges irritantes alios contractus ciuilibus, sic
in matrimonij contractu procedere possunt, vt colligitur ex
cap. gaudemus, de divorcijs. Et tradit Glossa in cap. si quis an-
tillam, verbo legibus. 2. q. 2. D. Thom. in 4. d. 39. q. vnicæ. art.
1. ad 4. Baldan. disp. 26. q. 4. art. 3. in solut. ad 4. Sotus disp. 39. in
sol. ad 3. Bellarmin. lib. 1. de matr. c. 2. §. 22. Sanch. alijs rela-
tis lib. 7. disp. 3. à n. 5. Basil. Ponce, lib. 6. c. 1. num. 2.

Supererat dicendū, An matrimonij impedimenta à Pontifice
statuta tolli consuetudine possint, vel alia de nouo constitui?
Sed huic difficultati abundè satisfacimus tract. 3. de legib. disp.
3. de consuetud. ubi enim, specialiter punct. 4. probauimus con-
suetudinem legitimè præscriptam habere vim abrogandi le-
gem, & aliam denuo constituendi, quia illam abrogat, & con-
stituit ex tacito consensu Principis, vt latius tradit in præsentis
Sanch. lib. 7. disp. 4. num. 1. & seqq. Basil. Ponce, lib. 6. cap. 4.
n. 6. Coninch. disp. 30. dub. 1. à n. 12. Galpar Hurtado disp. 12.
difficult. 2. n. 8. & alij communiter.

PUNCTVM II.

Quæ sint impedimenta impediencia tantum?

Impedimenta impediencia tantum in duplici sunt differen-
tia. Quædam procedunt ex crimine, quædam non. Quæ ex
crimine oriuntur his verbis continentur.

*Incestus, raprus sponsa, mors mulieris.
Susceptus propria sobolis, mors presbyteralis.
Vel si pariter solemniter, aut mortalem
Accipiat: prohibent hæc coniugium legitimum.*

Quæ verò ex crimine non procedunt verbis sequentibus
explicantur.

Ferè, de Castro. Sum. Mor. Part. 6.

*Ecclesia vetitum, necnon tempus feriatum,
Argue cathecismus, sponsalia iungio votum.
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.*

§. I.

Explicantur impedimenta impediencia non orta
ex crimine.

- 1 Expeditur primum impedimentum impediens, quod est Ec-
clesia vetitum.
- 2 Ex vi huius prohibitionis non irritatur matrimonium, sed
solum impeditur.
- 3 Secundum impedimentum est tempus feriatum.
- 4 Explicatur materia huius prohibitionis.
- 5 In prædicta lege nequit alius à Pontifice dispensare.
- 6 Tempore interdicti, & cessationis à Diuini matrimonium so-
lemniter celebrari potest.
- 7 Tertium impedimentum est cathecismus, & qualiter intel-
ligatur.
- 8 Plures Doctores censent hoc impedimentum iure nouo Conc.
Trident. sublatum non esse.
- 9 Communior est sententia opposita.
- 10 Debet Parochus nomina Patrinorum qui solo cathecismo
assistunt in libro notare.
- 11 Quartum impedimentum est sponsalia, in quo solus Ponti-
fex dispensare potest.
- 12 Quintum est votum simplex non nubendi, Ordines susci-
piendi, ingrediendi Religionem, & castitatem seruandam,
& qualiter obliget?
- 13 Proponitur ratio difficultatis, an prædictum impedimentum
obliget, etiamsi animum habeas Religionem ingrediendi
ante consummationem?
- 14 Verius est prædicta vota impedire.
- 15 Si post aliquod ex prædictis votis virginem desponsasti absque
promissione coniugij, voto teneris.
- 16 Imo esto vi, dolo, aut fraude violasses.
- 17 Si sub promissione coniugij violatio facta est, & ipsa fuit
scia voti non excusaris à voto. At si ignara fuit, voto
executio suspenditur, & matrimonium contrahere debes
petita dispensatione.
- 18 Quid si nullà impetratâ dispensatione matrimonium con-
trahis.

Primum impedimentum impediens tantum enumeratur,
Ecclesie vetitum, hoc est quando à Pontifice, vel Episco-
po, seu eius iurisdictionem habente, imò & à Parocho, vt
placet Paludano in 4. d. 34. q. 1. art. 1. concl. 4. Syluestro verb.
Matrimonium 7. q. 1. numero 2. Nauarr. cap. 22. num. 68. Saa, de
impedimentis matrimonij non dirimentibus numero 1. Sanch. lib.
7. disputat. 6. num. 6. Basilio Ponce, lib. 6. cap. 7. num. 2. Coninch.
disputat. 20. dub. 3. num. 2. Galpar Hurtado. disp. 25. difficult.
1. prohibetur coniugibus matrimonium saltem ad tempus:
potest enim Parochus ad sedandum scandalum, vitandas ri-
xas, inuestigandum impedimentum, vel in alicuius felici
venerationem nuptias interdiceret extrajudicialiter pro aliquo
tempore.

Quo præcepto coniuges obligantur, nisi manifestè iniu-
stum videatur, quod nunquam est præsumendum. Obligan-
tur autem plerumque sub mortali, quia materia grauis est,
vt satis colligitur ex cap. 1. de matrimonio contra interdictum
Ecclesie, ubi transgressores huius præcepti in poenam ad tem-
pus arbitrio Iudicis designandum separantur, quæ pena
cùm grauis sit, indicat culpam esse grauem. Atque ita docet
Sanch. lib. 7. disp. 17. n. 4. Basil. Ponce, lib. 6. cap. 7. num. 8. Co-
ninch. disp. 30. dub. 3. initio. Galpar Hurtado, disp. 25. de matr.
num. 1. Consulto dixi plerumque. Nam aliquando solum hoc
præceptum sub veniali astringere potest, vt Sanch. & Basil.
loc. alleg. docuerunt, nempe si in venerationem alicuius
festi prohibitio matrimonij eo die fiat. Non enim videret
grauiter offendi festi veneratio; tamen matrimonium cele-
bretur.

Ex vi tamen huius prohibitionis à Parocho, vel Episco-
po lata matrimonium non irritatur, neque irritari potest,
quia ipsi datum non est impedimentum dirimens matrimo-
nio contrahendo statuere. Quinimo esto à Pontifice lata sit,
si clausulam irritantem non habeat, solum impedit mat-
rimonium, non dirimet, vt habetur cap. 1. & 2. de matrim.
contracto contra interdictum Ecclesie. At si clausulam irri-
tantem habeat, vt habere potest, si adsit rationabi-
lis causa matrimonium non subdites, potestatem enim habet
Pontifex causâ iustâ intercedente inhabilem reddendi singu-
larem personam ad matrimonium aliquod contrahendum,
sicut potest sua generali constitutione, vt rectè ponderauit
Basil. Ponce, lib. 6. cap. 7. à n. 5. Et colligitur ex cap. ad dispen-
sandum, de desponsat. impuberum. Cap. rursus fratres, de spon-
sa duorum.

L. Secun

3 Secundum impedimentum est tempus feriatum: Ecclesia namque optans fideles aliquibus temporibus intensius orationi, ieiunio, aliisque penitentiae operibus vacare, prohibuit illis temporibus nuptiales solemnitates, vtpote quae animam ab iis spiritualibus exercitiis maxime auerunt. Antiquo iure plura erant tempora huius prohibitionis. At Conc. Trident. sess. 24. cap. 10. ea restrinxit dicens. *Ab Aduentu Domini nostri Iesu Christi usque in diem Epiphaniae, & à feria quarta Cinerum usque in octauam Paschae inclusivè antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari Sancta Synodus praecepit, in alijs vero temporibus nuptias solemniter celebrari permittit, quas Episcopi ut ea qua decet modestia, & honestate fiant curabunt, sancta enim res est matrimonium, & sanctè tractandum.*

Dies igitur contenti in praedicto decreto sunt omnes à prima Dominica Aduentus, quae ad minus incipit à media nocte usque in diem Epiphaniae inclusivè, & à feria quarta Cinerum usque in diem octavae Paschae inclusivè. Verbum enim *inclusivè* ad omnia praecedentia referri debet, ut notant Sanch. lib. 7. disp. 7. num. 1. Saa, verbo *matrimonij impedimenta non impediuntia*, num. 1. Basl. Ponce, lib. 6. c. 8. num. 4. Quinimò Sanch. num. 2. credit satis probabiliter hanc prohibitionem incipere à primis vespere sabbathi praecedentis Dominicam aduentus, quia ab eo tempore aduentus officium incipit.

4 Materia huius prohibitionis, si ius antiquum spectemus non solum erat benedictio nuptialis, & solemnium traductio sponsae in domum sponso, sed ipse matrimonij contractus, illiusque consummatio, ut constat ex pluribus textibus 33. q. 4. At spectato Tridentino (cui standum est) solae nuptiae solemnium prohibitae censentur. Nomine autem *nuptiarum solemnium* benedictiones nuptiales vulgò *velaciones* intelliguntur secundum omnium sententiam. Quam existimo debere ad illas benedictiones, quae pro secundis nuptiis in aliquibus Episcopatus conceduntur, quia esto non sint benedictiones nuptiales in rigore constituant tamen nuptias solemnium ab Ecclesia illis temporibus prohibitas, sicuti aduertit Basl. Ponce, lib. 6. cap. 8. n. 13. Gutierr. de matr. c. 106. à n. 14. Deinde venit intelligenda sub nomine *nuptiarum solemnium* traductio sponsae in domum sponso, quam coniugia publica, choreae, aliaque signa laetitiae comitantur, quia verè sunt nuptiae solemnium; sic docuit Thom. Sanch. lib. 7. disp. 7. n. 16. Basilius Ponce, lib. 6. cap. 8. num. 9. Coninch. disputat. 30. dub. 3. n. 23. & 36.

Credo tamen satis probabile esse secluso scandalo licere matrimonium celebrare plurium concursu, & coniugio, aliisque laetitiae signis, solisque benedictionibus Ecclesiae in supra dicto decreto prohiberi consuetudine sic interpretante videtur, & consentientibus Praelatis, ut inquit Sanch. dicta disp. 7. à num. 7. Gaspar Hurtado disputat. 2. §. difficult. 1. num. 3. Fauetque huic sententiae consuetudo, quam refert Basilius Ponce, lib. 6. cap. 8. numero 14. aliquorum oppidorum diocesis Salmantinae, ubi Rustici sabbatho ante Aduentum benedicuntur, & Dominica Aduentus solemnium fit sponsae traductio, quae simul cum sponso in thalamo in medio foro constructo collocatur, ibique vicini conuocati post prandia, & comelationes choreas ducunt, & munera sponso offerunt; quam consuetudinem tolerandam esse ipse Basl. assererat.

Neque obstat Textus in cap. neque uxorem. 33. q. 4. ibi, *Neque uxorem ducere, neque coniugia facere in quadragesimali tempore conuenire posse nullo modo arbitror.* Quia consuetudine abrogatum est ex parte. Vel dic id esse intelligendum, quando fit cum tanta solemnitate ut scandalum adsit. Praeterquam quod in supra dicto decreto non de obligatione, sed de conuenientia est sermo. Quod si veritas, benedictiones Ecclesiae non prohibentur ratione sui, sunt enim quid spirituale, sed propria coniugia, & festiuitates inde manantes. Ergo haec à fortiori prohibentur. Respondeo negando consequentiam, quia finis praecipui sub praecipuum non cadit. Praeterquam quod non ob eam rationem prohibentur benedictiones, sed ne Ecclesia videatur sua autoritate coniugia, & festiuitates coniugum approbare, ad eaque concurrere tempore quo ipsa interdicit omnes fideles ad ieiunium, & orationem excitare. Illud verò existimo certum licere iis temporibus sponsalia, & matrimonium absque solemnitate celebrare, & à fortiori consummare, quia haec comprehendi non possunt sub nuptiis solemnibus, ut bene tradunt Sanch. Basl. Coninch, Hurtado & alij relati.

5 In hac lege vtpote à Concilio generali lata est Sotus in 4. d. 32. quaest. vltima art. 3. in fine. Iacobus de Grassis 1. p. decis. lib. 2. cap. 8. §. n. 29. Basl. Ponce, lib. 6. cap. 7. n. 11. credant Episcopum iure ordinario dispensare posse, eo quod reseruatam non sit, verius existimo cum Sanch. disp. 7. num. 6. Henriq. lib. 1. c. 16. n. 2. extra casum urgentis necessitatis (qui raro contingere potest) non esse Episcopo concessam hanc potestatem. Quia generale est non posse inferiorem in lege Superioris dispensare, nisi ei fuerit commissum.

6 Tempore verò interdicti, & cessationis à diuinis commu-

nior est sententia matrimonium solemniter celebrari posse, & consummari, ut colligitur ex cap. capellanus de Feris ibi. *Quocumque tempore celebrari posse, eamque esse Romana Ecclesia consuetudinem.* Et tradit Nauar. cap. 27. num. 179. Couarua. capit. Alma. 2. p. §. 2. numero 7. Henriq. lib. 13. cap. 45. Tolet. lib. 1. capit. §. 3. numero 3. Sanch. lib. 7. disputat. 8. per. totam, & alij apud ipsos, Benedictiones verò minime possunt fieri, quia pertinent ad Ordinis exercitium, & ad Diuinum officium recitandum. At si coniuges bullam Cruciatam habeant, possent benedicti seruata forma praescripta in cap. Alma mater, de Sentent. excommunicat. in 6.

Tertium impedimentum est catechismus, id est instructio, seu professio fidei facta ante ianuam Ecclesiae super baptizandum, seu nomine baptizati: sicuti habetur cap. ante baptismum de consecrat. dist. 4. impeditque matrimonium contrahendum antiquo iure spectato, ex cap. contracto de cognat. spirituali. Et cap. 2. eodem tit. in 6. in illis gradibus, in quibus cognatio spiritualis per baptismum impedit, quia de se est initium spiritualis regenerationis, sicut sponsalia initium sunt matrimonij. Et licet catechismus regulariter baptismum praecedat; atamen id impedimentum praestare, tamen si subsequatur baptismum ob vrgentem aliquam causam domesticam, quia spectatur non quod ex accidenti contingit, sed quod frequentius est, idè quod cap. 2. de cognat. spirituali in 6. dicitur contrahi hoc impedimentum per catechismum, qui baptismum praecedit, id est qui frequenter & in plurimum: ut rectè aduertit Couarua. 2. p. decret. capit. 6. §. 3. numero 11. Henriq. lib. 12. capit. 2. numero 1. Sanch. lib. 7. de matr. disputat. 10. num. 7. aduersus Bartholom. de Ledesim. dubitat. 46. de matr. & Sotum in 4. disputat. 37. quæst. vltima. articulo. 1. ad finem. corp. asserentes non improbabiler ex catechismo baptismum subsequente nullum impedimentum contrahi.

Controuersia inter Doctores est, An iure nouo Conc. Trident. sess. 24. cap. 2. de reformat. sublatum sit hoc impedimentum; Plures, grauesque Doctores post Concilium sentientes negant. Matienzo lib. 5. recopil. tit. Rub. gloss. 1. n. 148. Anton. Cuchus, lib. 5. instit. maior. tit. 1. n. 17. Lancelot. in instit. Iuris Canonici, lib. 2. tit. de triplici cognat. per catechismum, Tolet. lib. 7. c. 14. in fine. Palaçios dist. 42. q. vlt. Barthol. de Ledesim. dub. 46. & alij plures relati à Gutierr. c. 84. num. 6. asserentes ad primum gradum, sicuti cognatio orta ex baptismum hoc impedimentum restrictam esse. Ratio est, quia esto Concilium omnem aliam cognationem spirituales abstulerit praeter eam, quae ortur ex baptismum intelligi debet absolute omnem cognationem spirituales dirimentem, secus impedimentum tantum, ut colligitur ex principio ipsius c. 2. Correctio namque iuris communis vitanda est quoad fieri possit, cum igitur Concilium non expresserit absolute omnem cognationem spirituales tam dirimentem, quam impedientem, intelligi debet solum dirimentem, vtpote praecipuum absolute.

Cæterum communior sententia, quam docet Sanch. lib. 7. disp. 10. n. 12. Gutierr. cap. 84. de matr. n. 6. Basilius Ponce, lib. 6. cap. 11. circa finem. Reginald. lib. 3. n. numero 190. Rebell. de obligat. instit. 2. p. lib. 3. q. 18. numero 20. Coninch. disputat. 30. dub. 3. num. 24. Gaspar Hurtado de matr. disp. 2. §. difficult. 1. num. 4. asserit Concilio Trident. hoc impedimentum sublatum esse, eo quod Concilium dixerit: Impedimentum cognationis spiritualis solum extendi debere ad leuantem baptismum de sacro fonte, eiusque patrem, & matrem, omniaque alia personas huius spiritualis cognationis spiritualis sublati. Ergo tollit impedimentum, quod inter professorem fidei & inter Baptizatum esse poterat. Nam esto impedimentum ortum ex catechismo non sit dirimens, sed impediens, nihilominus vniuersalis negatiua, quae negat omne aliud impedimentum, de quolibet impedimento cognationis spiritualis intelligi debet; praecipue cum hoc decretum sit Iuris communis, & in fauorem matrimonij, quod late est interpretandum, tamen si antiqui Iuris correctoriam.

Hinc Sanch. Basl. Ponce, Gutierr. & alij prudenter mouent Parochum obligatum esse scribere nomina Patrimonij qui baptizandum leuant de sacro fonte, si forte solum catechismo affuerint id debere exprimerè, quia ex vno munere contrahunt impedimentum dirimens, ex alio autem munere nullum impedimentum, vel ad summum impediens.

Quartum impedimentum est sponsalia, quae dum durant constat apud omnes iure naturae matrimonium contrahendum cum alia impedire; est enim contra fidelitatem & iustitiam rem vni promissam eo inuito alteri tradere. In quo impedimento solus Pontifex ex rationabili causa dispensare potest, non autem Episcopus. Quippe Episcopi lege lata à Pontifice in cap. ex litteris el. 2. de sponsalibus, iubentur, ut sponsalia obseruari procurent. In lege autem Superioris qualis est Pontifex nequit regulariter inferior dispensationem concedere. Praeterquam quod sponsalibus est ius tertio acquisitum, in iure autem tertio acquisito non dispensat Episcopus, ut patet

patet in testamentis, donationibus &c. Arque ita tradit Sotus in 4. d. 37. q. unica. ar. 1. concl. 2. Henric. lib. 22. de matr. cap. 2. num. 2. Sanch. lib. 1. de matr. disp. 61.

Quinque est votum simplex non nubendi, Ordine (ve recipiendi, ingrediendi Religionem, vel castitatem seruandi. Quodlibet enim ex his votis iure naturali, & Diuino matrimonium impedit, vt habetur c. consulti. Cap. veniens. Cap. Rursus. Qui Clerici, vel vouentes. Et capite vnto de Voto in 6. Et quidem votum non incedit matrimonio, esse impedimentum matrimonio contrahendo; nemini dubium esse potest, vt testatur Henric. lib. 11. cap. 1. num. 1. Sanch. lib. 7. disp. 11. num. 7. Gutier. cap. 8. num. 3. Basil. Ponce, lib. 6. cap. 12. numero 1. quia directè opponitur matrimonio. Idem est de Ordine sacro assumendo, vel Religionem ingrediendo, quia sunt status à matrimonio diuersi, quibus assumendis impedimentum præstat matrimonium, vt tradunt prædicti Doctores. Qui id ipsum asserunt de voto absoluto castitatis, quo corpus vouentis Deo consecratur, nequit alteri tradi. Quinimo esto hæc vota conditionalia sint, vel dilata in tempus futurum, scilicet cum studia fuerint consummata, cum parentes obierint, cum beneficium obtentum fuerit matrimonio impedimentum præstat, vt rectè notauit Sanch. d. disp. 11. n. 7. Basil. d. d. c. 12. n. 1. Gutier. c. 8. n. 3. Quia est eorum obligatio perfecta non sit quouisque conditio ponatur, vel tempus adueniat, obligant tamen his votis strictim, ne se incapaces, & inhabiles reddat ad eorum executionem.

Neque prædicta vota desinunt esse matrimonij impedimenta, eo quòd vehementibus carnis stimulis virgearis, vt aduertit ex communi Sanch. d. d. disp. 11. à n. 12. Gutier. c. 8. n. 5. & seqq. Coninch. d. d. disp. 11. 30. dub. 3. numero 17. Basilus Ponce, lib. 6. cap. 12. numero 2. Etenim status Religionis, Ordinis sacri, vel coelibatus ita est excellens, & perfectus, vt meritò ob illum assequendum omnes illas difficultates superare debeas; siquidem Diuinà gratiã adiutus id præstare valet, oratione inquam & ieiunio, aliisque penitentiar operibus.

13 Quare difficultas in eo versatur, An prædicta vota impedimentum matrimonio præsent, si animum habetas illud non consummandi, sed ante consummationem ad Religionem transfendi? Ratio difficultatis est, quia matrimonij contractus seclus à consummatione non impedit Religionis ingressum, & consequenter neque Ordinis assumptionem, & coelibatum, ergo prædicta vota matrimonium cum hac intentione assumptum non impediunt. Atque ita docet Rebell. 2. p. de obligat. iustit. lib. 3. quest. 17. à num. 2. Basil. Ponce, lib. 6. cap. 12. num. 4. & 5.

14 Ceterum omnino tenendum existimo prædicta vota impedimentum præstare matrimonio etiam sub ea intentione transfendi ad Religionem contracto. Quippe negari non potest te contrahendo matrimonium in graue periculum conici ab ea intentione religionis desistendi. Ergo saltem ratione periculi talis contractus illicitus est. Quæ ratio procedit, esto is quocum contrahis conscius sit tux inentionis, si vero ignarus sit est manifesta deceptio & iniuria. Nam esto cuiuslibet à iure concessum sit bimestre ad deliberandum de Religionis ingressu post matrimonium contractum, neque vllus ex contrahentibus possit alterum obligare, ne ad Religionem transeat, si Deus inspirauerit, optimè tamen potest obligare, & de facto obligat, ne contractum celebret animo firmo ad Religionem transfendi, quin is animus ei manifestus fiat. Nam dum hunc animum non marifestas, præsumeris animo consummandi matrimonium contrahere; quia is est communis contrahendi modus, ergo si ab hoc contrahendi communi modo desistis contrahentem decipis, qui nullatenus contraheret, si eum animum cognosceret, est igitur iniustitia.

15 Grauior dubitatio est, si post aliquod ex prædictis votis emissis virginem desorasles? Et quidem si id factum est absque promissione coniugij, ipsaque liberè consentit à voti executione non liberaris, quia ea liberatas contingere poterat ex eo quòd virgini damnum ex iniustitia resarcendum factum sit, quòdque resarciri nequit votum exequendo: at virgini liberè consentienti nullum tale damnum irrogatur, quia sciens, & volens nulla fit iniuria. Ergo ex illa desforatione non impeditur votum exequi, vt docet Lessius lib. 2. cap. 10. num. 9. Petr. Nauarr. lib. 2. de restit. cap. 3. numero 423. Thom. Sanch. aliis relatis, lib. 7. disput. 1. a. num. 11. Gasp. Valq. de restit. cap. 3. §. 2. dub. 6. numero 21. Basil. Ponce, lib. 6. ca. 12. numero 6.

16 Quod si ipsam vi, dolo, aut fraude violasti, etsi tenearis damnum integrè resarciri augendo dotem, vt æquè benè nubar, ac si corrupta non esset, non tamen teneris præciè ad eam dncendandam, vt docuerunt Nauarr. supra. Lessius. num. 10. Sanch. num. 12. & consequenter à voti executione non excusaris. Neque his obstat Textus in cap. 1. de adulteris vbi dicitur, Si quis seduxerit virginem nondum desponsatam, dotabit eam, & habebit uxorem; quia hic Textus intelligendus est post sententiam Iudicis non in foro conscientiar, vt rectè Ferd. de Castro, Sum. Mor. Part. V.

Syluest. verbo Luxuria q. 5. Couarruu. 2. p. de sponsalib. cap. 8. §. 3. num. 19.

At si sub promissione coniugij virginem violasti tui voti consciam, nullam contrahis obligationem ducendi illam, sed voto exequendo obligatus, sicut antea existis, quia cum tempore promissionis impeditus esses à matrimonio contrahendo, idque virgo cognouit, cognouit te obligati non potuisse, ac proinde censenda est gratis suum corpus tibi præstitisse. Secus est si ipsa tui voti ignara extitit, quia eo casu obligaris eam ducere, & votum suspenditur, vt docuit Sanch. lib. 1. disputat. 4. §. num. 3. Gab. Vazq. de restit. cap. 3. §. 2. dub. 6. num. 20. Basil. Ponce lib. 6. cap. 12. num. 10. obligatio namque iustitiæ superueniens orta ex accepto virginis corpore in tui vsum sub ea conditione ducendi illam, præualet promissioni castitatis, & Religionis Deo factæ; sicuti si post votum elemosynæ præstandæ, alienum surripes, deberes prius huic debito satisfacere, quàm voto. Et licet posses damno virgini illato satisfacere dotis augmento, non obinde liberaris ab ea ducenda, quia ex vi contractus non debes pecuniam, sed matrimonium. Et quoties aliquid in specie creditori debetur, illud præstandum est, nec sufficit, si æquiualens concedatur creditore non consentiente. Verùm vt prædictæ obligationi iustitiæ satisfacias, debes dispensationem voti prius petere, quæ necessariò concedenda est.

18 Quod si nullà impetra à dispensatione matrimonium contrahis, peccas contrahendo, vt potè qui assumis statum promissioni repugnantem, vt dictum est. Matrimonio autem contracto, si votum fuit de non contrahendo matrimonium, alicui videri possit nullam tibi superesse obligationem, sed credo te obligatum esse non petere, quia prædictum votum, vt potè ex affectu castitatis elicium est de non contrahendo matrimonium simpliciter, & perfectè scilicet de non contrahendo, & consummando, ex quo voto obligaris ad non petendum. At si votum fuit de Ordine sacro assumendo, cessat matrimonium contracto etiam non consummato, cum non possis absque licentia coniugis illud votum exequi, vt definitum est in extrauag. Antiqua de voto. Quod si votum fuerit Religionis assumendæ teneris ante consummationem illud exequi cum possis, nisi fortè virgini desforata sub promissione coniugij non fuerit ex solo contractu matrimonij plenè satisfactum. Tandem si castitatis fuerit votum, nullatenus petere potes, etsi teneris reddere; quia quoad eam partem votum seruare potes. Qui autem Prælati in iis votis ante vel post contractum matrimonium dispensare possint latè dixi tract. de voto disp. vlt. punct. 12. & aliis.

§. II.

Expenduntur impedimenta impediencia ex crimine orta.

- 1 Primo loco enumerandus est incestus, & quid sit?
- 2 Antiquo iure ex copula cum consanguineis intra quartum gradum contraheretur, nunc ex copula cum consanguineis intra secundum gradum.
- 3 Copula cum consanguineis sponse de futuro non est incestus, nisi intra primum gradum.
- 4 Matrimonio nullo existente non datur incestus.
- 5 Incestus habitus cum sanguineis propriis præstat impedimentum ex probabili sententia.
- 6 Supradicta doctrina, & impedimento incestus plures limitationes adhibita examinantur.
- 7 Secundum impedimentum est raptus aliena sponse.
- 8 Quæ sint pœna iure Ciuili his raptoribus constituta?
- 9 Quæ iure Canonico?
- 10 Quæ iure nouo Tridentini?
- 11 His pœnis à Trident. statutis non est locus, cum raptus contingit occasione explenda libidinis, & non matrimonij contrahendi.
- 12 Nec item est locus si puella rapti consentiat.
- 13 Aliqui censent excusari à prædictis pœnis Concilij raptorem propria sponse de futuro.
- 14 Verius est oppositum.
- 15 Si dolo falsisue promissis femina adducatur, non est raptus pœnis Trident. obnoxius.
- 16 Quibus in locis Conc. Trident. decretum vigeat.
- 17 Tertium impedimentum est uxoricidium, & explicatur.
- 18 Hoc impedimen. unq. etsi Sanch. neget extendi ad viricidium. Verius est oppositum.
- 19 Quartum est susceptio propria sobolis de sacro fonte, & explicatur.
- 20 Quintum est mors presbyteralis.
- 21 Sextum penitentia solemnis.
- 22 Septimum, acceptio femina Deo sacrata.
- 23 Prædicta impedimenta ex crimine orta vsu, & consuetudine abrogata sunt.

Inter hæc impedimenta enumerandus primo loco est incestus conuergens ex copula habita cum consanguineis coniugis

coniugis; vti habetur *cap. 1. Cap. transmissa, de eo qui cognouit consanguin. uxoris sue.* Et tradunt omnes teste Sanch. *lib. 7. disp. 15. num. 1.* Zeuallos *in suis communib. opin. quæst. 737. initio.*

2 Antiquo iure impedimentum contrahebatur ex copula cum consanguineis intra quartum gradum, Argum. *cap. non debet de consanguinit. Et affirm. vt pro certo firmat Sanch. d. disp. 15. num. 4. & lib. 9. disp. 27. num. 12.* Gutier. *cap. 87. num. 5.* At nouo iuris Trident. *sess. 24. cap. 4.* solum ad consanguineos intra secundum gradum extenditur, vt multis allegatis probat Sanch. & Gutier. *supra, referuntque sic sæpe decisum esse à sacra Congregatione.*

3 Quando vero coniux matrimonio copulatus non est, sed solum sponsalia de futuro contraxit, incestus non committitur nisi copulam habeat cum consanguineis sponse intra primum gradum, eo quod nouo iure Conc. Trident. *dicta sess. 24. cap. 4.* impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus ortum non excedit primum gradum, & consequenter extra illum gradum non constituit incestus, vt probat Sanch. *dicto lib. 7. disp. 15. num. 5. Et seqq. Et lib. 9. disp. 27. m. 6.* Gutier. *lib. 1. can. 97. cap. 23. num. 15. & de matr. cap. 87. num. 8.*

4 Quod si matrimonium nullum extiterit copula cum consanguineis coniugis non erit impedimentum matrimonio contrahendo, tamen si fuerit incestus, nisi ea copula fuerit cum matre, vel filia coniugis, Argum. *Textus in cap. si quis cum matre 24. quæst. 2.* Quo casu etiam ipsæ prædictum impedimentum contrahendi conscia fuerint delicti, sic tradit Sanch. *d. disp. 15. num. 7.* Gutier. *cap. 87. m. 9.*

5 Controuersia autem est, An incestus habitus cum consanguineis propriis impedimentum præterit: Qua in re duplex est sententia, & vtraque satis probabilis teste Sanchez *lib. 7. disp. 11. à num. 15.* Sed ex his viorem reputo quæ affirmat esse impedimentum, quàmque docet Glossa *in cap. de incestis in fine 35. quæst. 3.* per Textum *ibi.* Et *cap. si quis viduam 32. q. 7. & cap. si duo 35. quæst. 6.* & approbat expressè à lege regia *1. tit. 2. part. 4. ibi:* [el vno dellos (scilicet que impiden el contraer el matrimonio) vñ pecado que llaman en latin. *incestus* que quiere casto degir como pecado que home face facièdo a la biendaa con su patienta, o patientia de su mujer, o de otra con quien hubiese yacido hasta el quarto grado:] & *ibi* Gregor. Lopez *verbo con su patienta.* Cui opinioni credo standum esse maxime in hoc regno Castellæ, cum Iuri Canonico conformis sit. Tamen contrarium censet Sanch. *lib. 7. disp. 15. num. 15.* Zeuallos *in suis communib. opin. quæst. 737. num. 3.* & alij plures apud ipsos.

6 Supradictæ doctrinæ de impedimento incestus plures limitationes Doctores adhibent, quas breuiter perstringam. Primum asserunt & recte requiri necessarium, vt scilicet incestus admittitur sit, quia ita cauetur *in cap. 1. de eo qui cognouit. consanguineam.* Et tradit Sanch. *d. disp. 15. à n. 9.* Gutier. *lib. 87. num. 11.* Non tamen est opus, vt incestuosus agnoscat hoc impedimentum sibi appositum esse. Satis enim est, quod agnouerit incestum commississe, vt bene notauit Sanch. *lib. 9. disp. 32. num. 44.* Secundò debet esse incestus voluntarius, non violentè commissus, iuxta Textum *in cap. discretione. De eo qui cognouit consanguineam:* & tradit Sanch. *lib. 7. disp. 15. num. 10.* Gutier. *d. cap. 87. num. 14.* Basil. Ponce, *lib. 6. cap. 13. in fine.* Tertio requiritur incestum copulâ consummatum, quare si semen extra vas legitimum fornicatæ emissum sit non constituit affinitatem, neque prædictum impedimentum, vt notat Sanch. *num. 11.* & Gutier. *num. 15.* Quarto asserunt Dominie, Sorus, Corduba, Henric. Viuald. Eman. Saa, *loc. cit. referendis* opus esse, vt incestus committatur cum consanguineis coniugis viuens non defunctæ. Nam post mortem coniux non est & verba legis præcipue in penarum impositione cum proprietate sunt accipienda, & quoad fieri potest restringenda. Sed rectius contrarium docuerunt Sarmiento *lib. 7. secl. cap. 10. in princ.* Quando *in 4. d. 41. disp. vnica, propo. 8.* Pet. de Ledelm. *de matr. quæst. 58. art. 4. dub. 1.* Sanch. *dicta disp. 15. num. 12.* Gutier. *de matr. cap. 87. num. 17.* Basil. Ponce, *cap. 13. num. 7.* nempe hoc impedimentum contrahitur sive coniux viuus, sive mortuus fuerit, eo quod Textus de hac materia loquentes solum exigant, vt incestus committatur, qui verè committitur, tamen coniux mortua fuerit. Præterquam quod in communi modo loquendi, qui semper spectandus est, consanguinei coniugis dicuntur, esto mortua fuerit coniux. Vt colligitur ex lege regia *1. tit. 2. part. 4.* idque expressè videtur decisum *in cap. transmissa de eo qui cognouit consanguin. vbi* Textus loquitur, *Quando uxore defuncta incestus commissus est, ob cuius causam decidit virum debitum potere non posse, bene tamen reddere.* Quintò requirunt alij incestum publicum esse iure, vel factò, alias publicè non erit incestuosus à matrimonio impediendus. Sed contrarium optime docuit Glossa *in cap. qui dormierit, verbo neutram 32. quæst. 7.* Alphons. à Castro *lib. 2. de lege pœnali: §. rursus.* Gutier. *lib. 1. canon. q. 23. n. 8. & de matr. c. 87. n. 18.* Et *19* Sanch. *lib. 7. disp. 15. num. 13. & 14.* Rarò namque impedimentum hoc contraheretur, si incestus publicus futurus

esset, neque Textus hanc publicitatem expostulauit. Neque inde fit ipsum incestuosum non esse impedimentum à matrimonio publicè, & fecerò contrahendo, nam ob impedimentum occultum impediri optime potest iure quidem, & lege, non Iudicis officio.

Secundum impedimentum matrimonio contrahendo est raptus alienæ sponse, *Cap. statutum. 27. quæst. 2.* Ponimus raptum proprie esse, cum libidinis causâ alia persona sine nupta, sive in nupta vi aut dolo abducitur de vno loco in alium, non ratione commodioris vsus, sed violentiæ intercedæ, vt rectè Sanch. *lib. 7. disp. 12. n. 21.*

Varia pœnæ iure ciuili sunt his raptoribus statuta, vt constat ex *leg. vn. Cod. de raptu virginum,* vbi raptores capite plectuntur, eorundemque bona personæ raptæ addicuntur. Debet tamen persona raptæ esse honesta: vta, quando raptus committitur, aliàs non lubicitur his pœnis, sed aliis arbitrio Iudicis, vt habetur in dicta lege iuncta Glossa, *verbo virginum.* Et *leg. regia 3. tit. 20. part. 7.* Item requiritur, vt nihil ante de matrimonio actum fuerit. Quippe sponsalibus contractis raptus reputari non debet, vt expressè cauetur *in cap. penult. de Raptorib.*

Iure Canonico statutum est, vt raptor alienæ sponse publicè penitentia mulctetur, & impedimentum sit non dirimens, sed impediens matrimonium cum quolibet contrahendum, *cap. statutum 27. q. 2.* Qui enim alienum matrimonium perturbare ausus est, merito priuatur proprio. Dixi *aliena sponse.* Si enim scemina desponsata non esset, imò si non esset per verba de presenti, non contrahitur raptor prædictum impedimentum, quia sponda de futuro in rebus odiosis non venit nomine sponse intelligenda, vt rectè notauit Sanch. *lib. 7. disp. 12. n. 45.* vbi requirit ad hoc impedimentum, vt vir renitatur rapui suæ sponse, nam si ipse consensum præbet, cessabit impedimentum, cum in eius fauorem latum sit. Quod si dissentiente viro sponda rapti consistat, impedimentum contrahitur non solum raptor, sed raptæ, ita vt dissoluto eo matrimonio nequeant hæcè alius inire, iuxta *cap. statutum,* quæ fit perfectè iniuria matrimonii, & iuxta in cuius fauorem impedimentum statuitur.

Nouo iure Conc. Trident. *sess. 24. cap. 6.* raptor cuiuscunque mulieris, ac omnes illi qui consilium, auxilium, vel fauorem ei præbuerint ipso iure excommunicantur, & peiperuâ infamâ percelluntur, omniùque dignitatum incapaces redduntur, & si Clerici fuerint à proprio gradu decedunt, obliganturque raptor sine raptam duxerit, sine non dotare. Quæ pœnæ Iudicis sententiam expostulant, excepta pœnâ excommunicationis, quæ ipso iure incurritur teste Sanch. alios referentes *lib. 7. disp. 13. n. 1.* Neque raptor ab his liberatur, ciso raptam ducat, vt notauit Sanch. *supra,* & Lessius *lib. 4. cap. 3. num. 69.* Gutier. *cap. 86. num. 26.* Decernit præterea Sancta Synodus inter raptorem, & raptam quandiu ipsa in potestate raptoris manserit nullum posse consistere matrimonium. Ex quibus verbis, vt docent omnes eo in casu est impedimentum dirimens. Quod si rapta à raptore separata, & libero constituta cum in vium habere consenserit, raptor in vxorem habeat.

Aliqui Doctores, vt Ioann. Vela *de pœnis delictor. cap. 19. §. sed ego.* Alphons. à Veracruz *in append. ad specul. consuet. vbi de raptu pag. 81. §. hinc considerandum.* Eman. Saa, *verbo Matrimonium num. 9.* referens decisum esse à sacra Congregatione, vt stantur prædictas omnes pœnæ, & inhabilitatem ad matrimonium contrahere raptorem, esto non animo contrahendi matrimonium, sed explendæ libidinis fornicam raptuerit, quia Concilium generaliter, & indistinctè loquitur. Sed rectius Salcedo *pract. cap. 78. in fine.* Rodrig. *1. tom. num. cas. 23. num. 7.* Vega, *2. tom. cap. 234. notab. 1. casu 157.* Corninch. *disp. 31. dub. 4. in fine.* Paul. Layman. *lib. 5. sum. tract. 10. part. 4. cap. 13. in fine.* Thom. Sanch. *lib. 7. disp. 13. num. 3.* Gutier. *cap. 86. num. 8.* Lessius *lib. 4. cap. 3. num. 64.* asserunt prædictas pœnas solum incurrit raptorem qui animo contrahendi matrimonium fornicam raptuerit. Tum quia hoc decretum est pœnale, & correctorium iuris communis, *cap. fin. de raptorib.* ergo restringendum est. Item quia Concil. Tridentinum in prædicto decreto matrimonij libertatem fauere intendit, ideoque irritum reddit atteratum ex raptu, vt hæc irritatione coerceret raptores videntes suum finem consequi non posse. Non igitur extendendum est ad raptorem ex causâ libidinis.

Deinde his pœnis non est locus, si puella rapti consentiat, tamen si parentes eius renitatur, quia hoc decretum Concilij in fauorem matrimonij latum est, cuius libertati parentum repugnantia non obest, ideoque illius non meminit Concilium, sed solum puellæ consentus, vt constat ex illis verbis. *Quod si rapta à raptore separata, & in loco tuto, &c.* Et licet Iure Ciuili repugnantibus parentibus raptus committatur puniendus. At præsentis decreto Concilij non quilibet raptus animo contrahendi matrimonium dissentiente puellâ vindicatur, vt aliis raptis docuit Sanchez *lib. 7. disp. 13. num. 13. & 14.* Corninch. *disp. 31. dub. 4.*

in fine. Paul. Layman. d. cap. 13. num. 4. tamen si contrarium immerito sentiat Gutierri. cap. 8. numero 17. Henrici. lib. 12. c. 14. num. 4.

13. Præterea Henrici. lib. 12. de matrim. c. 14. num. 4. & 5. & Lessius lib. 4. cap. 3. num. 70. affirmant excusari à prædictis pœnis Concilij raptorem propriæ sponsæ de futuro, quia in cap. penult. de raptorib. hoc delictum à raptu excusatur, & apertius videtur definitum à Gelasio c. lex illa. 3. q. 1. ubi raptum dicitur esse commissum, ubi puella de cuius nuptiis antea nihil actum fuerat videbatur abducta, quasi diceret raptum non esse, quando de nuptiis antea esset actum.

14. Nihilominus longè probabilius, & omnino dicendum existimo cum Sanch. dicta disp. 13. num. 15. Gutierri. c. 86. n. 22. incurere raptorem in pœnas hoc Concilij decreto contentas, si sponsam de futuro renitentem abducat, eo quòd libertas matrimonij offenditur, cum vi abducatur, ut contrahat, fauētque Textus in cap. penult. de raptorib. Neque Gelasius contrarium dicit, sed solum dixit videri adductam, quoties antea de nuptiis actum non esset, id est quoties antea de nuptiis præsentibus, non futuris actum non esset, seu quoties nuptiæ antea celebratæ non essent, ut explicat ibi Glossa: secus esset, si parentibus renitentibus ipsa sponsa de futuro libens abduccretur, nam eo casu non est raptus his pœnis subiectus.

15. Præterea notant Sanch. alii relatis lib. 7. disp. 12. num. 32. & disp. 13. n. 11. & 12. Gutierri. c. 86. de matr. n. 14. & 15. si dolo, falsivè promissis fœmina abducatur, non esse raptum Conc. Tridentini pœnis obnoxium, quia non est violentia, quæ ad proprium raptum requiritur. Neque obest eam abductionem pœnis latis in leg. vn. Col. de Raptu virginum, puniri ut raptum, quia id cauetur expressè in ea lege. Cum ergo in Tridentino id expressum non sit, non debet eius dispositio, quæ pœnalis est, & correctoria ad raptum improprium extendi.

16. Tandem est notandum decretum Conc. Trident. solum habere locum illis in locis, in quibus receptum est, alias standum erit antiquo iuri c. fin. de Raptorib. Deinde non extendi ad raptorem fœminas, quia ius non præsumit viro violentiam inferendam esse, quòd si aliquando inferatur eâ durante matrimonium consistere non potest, secus cæ cessante, tamen extra potestatem raptoris non fuerit vir constrictus; & iuxta hæc explicandus est Gutierri. d. c. 86. in fine.

17. Tertium impedimentum est vxoricidium non quidem animo iocundi aliud matrimonium: tunc enim est impedimentum dirimens, sed factum ob odium, vindictam, vel quia deprehensa est in adulterio. Nam licet leges ciuiles vxoricidium ob eam causam non puniant, lex vero Canonica omnibus illicitè vxorem interficientibus hanc pœnam constituit, ut constat ex capite interfectores. Capite admonere. Capite quicumque. 3. q. 2. secus esset si auctoritate Iudicis conuicta, & condemnata interficeretur, ut colligitur ex dicto cap. quicumque, ibi: Quicumque vxorem abique lege, vel sine causa, & certa probatione interfecerit, &c. Quasi diceret, qui lege posita, & probatione facta interficit, non incurrit impedimentum. Atque ita tradit Sanch. alii relatis lib. 7. disp. 6. a. n. 2. Gutierri. c. 88. a. n. 2. Basil. lib. 6. cap. 14. num. 2.

18. Hoc impedimentum negat Thom. Sanchez lib. 7. de matr. disp. 16. n. 6. extendi ad viricidium, eo quòd in prædictis Textibus nulla huius delicti facta sit mentio, sed tantum de vxoricidio, neque est eadem ratio, nam viricidium ratio continetur; quia vxores timidae sunt, vxoricidium vero frequentius ob vitium audaciam, ad quam reprimendam hoc impedimentum est constitutum. Sed rectius contrarium docuit Gutierri. cap. 88. num. 4. Basil. Ponce lib. 6. c. 14. Rebell. de obligat. in lib. 2. p. lib. 3. q. 18. & de vxoricidio. Casilius, cap. 1. de Diuortijs, & alij plures relati à Sanch. ipsæque probabile reputat. Nam esse in prædictis capitibus nulla de viricidio mentio facta sit, ratio tamen decidendi, & apponendi prædictum impedimentum eodem modo, imò efficacius procedit in viricidio, quam in vxoricidio. Etenim in cap. admonere. 3. q. 2. ubi hoc impedimentum statuitur vxoricidio, hæc ratio subiungitur, occidisti vxorem tuam, partem corporis tui legitimo matrimonio fœcisti, filios tuos orphanos fecisti. Quæ æquè in vxorie, ac in viro procedit. Præterea id videtur expressè decernit in cap. 1. de Diuortijs, ubi mulier quæ marito insidias tendit, ipseque le defendendo alium occidit priuatur spe coniugij, fauētque cap. si qua mulier. 3. q. 1. Cap. nihil iniquius. Cap. indignatur. 12. q. 3.

19. Quartum impediens est susceptio propriæ sobolis de sacro fonte, animo cauendi diuortium debitum coniugij negando, iuxta Textum in cap. De eo 30. q. 1. ibi Si præuicator coniugij supermixerit acerrimè penitentia multetur, & sine spe coniugij remaneat. Merito namque priuatur coniugio in perpetuum qui impedimentum voluit apponere ei quod habebat. Quod impedimentum Doctores extendunt si proprium filium baptizet, aut illius filii in baptismo Patris animo insidiandi matrimonio, quia est eadem ratio. Ex quo fit deficiente eo animo nullum esse impedimentum, quia non censetur coniugij præuicator. Vnde si necessitate virgente pater filium suum baptizet, nullam cognationem spirituales

cum coniuge contrahit, ac proinde nec priuatur potestate petendi debitum, neque à matrimonio impeditur, ut constat ex cap. ad limina 30. q. 1. imò si absque vlla necessitate, si ex ignorantia facti, aut iuris fiat hæc pœna non afficitur, quia hæc pœna priuationis petendi debitum malitiam exigit, ut colligitur ex cap. si vir de cognat. spirituali. Et ibi Abbas, Nauarr. cap. 16. n. 34. Probabilitate tamen non videtur carere, etiam in hoc casu non esse priuatum coniugem potestate debitum exigendi, ut plures docent relati à Syluestro, verbo matrimonium. 8. q. 7. Brinclinat Suar. t. 3. in 3. p. q. 67. art. 8. in comment. Quia cap. si vir. solum de redditione debiti mentionem fecit dicens, vnus alteri debitum non subrahatur, non de petitione. Imò cap. de eo 30. q. 1. affirmant, si vterque coniux ad delictum concurrerint, velintque simul habitare non esse separandos, ergo possent debitum petere, quando enim vterque priuatus est potestate exigendi, ab Ecclesiâ quoad thorum separantur.

Quintum impedimentum est mors presbyteralis, id est mors Sacerdotis, constat ex cap. 2. de penit. & remissionib. ibi: Qui presbyterum occiderit conuictus vsque ad vltimum vita sua tempus malitiæ singulo careat, & absque spe coniugij maneat. Etenim Sacerdos ex officio matrimonio alihit, ergo cum interficiens debet eo priuari. Debet tamen delictum esse in iudicio probatum, ut indicant illa verba Textus conuictus, & notant Hostiens. Antonin. & Abbas ibi. Et licet aliqui dicant sufficere in foro penitentæ conuictum esse, hoc minus probabile est, quia in illo foro nulla est propria conuictio, ut rectè dixit Sanch. lib. 7. disputat. 6. num. 9. cum ibi non sint alij testes, neque alius accusator præter ipsum tunc penitentem.

Sextum est penitentia solemnis, quæ inter impedimenta impediens orta ex crimine enumeratur, non quia ipsa sit crimen, sed quia ex crimine procedit, seu propter ipsum imponitur priuatur matrimonio contrahendo, dum durat. Cap. de his. c. fin. 3. q. 2. Ratio: quia non decent nuptiæ, quæ secum lætitiã afferunt, cum qui lætuit, & penitentia ætius est.

Septimum, & vltimum est acceptio fœminæ Deo sacratæ, quando scienter aliquis sanctimoniam ducere præsumit constat ex cap. hi ergo. 2. q. 1. Ratio: quia iniuriam irrogauit Christo eius sponso, id est quæ debet coniugio in perpetuum priuari.

Superest dicendum, an hæc impedimenta ex crimine orta quatenus omni: matrimonio in perpetuum priuant, consuetudine sint abrogata? Negant Rebell. lib. 3. de impedim. q. 18. in fine. To etus inclinat lib. 7. cap. 19. Sed rectius Nauarr. c. 22. num. 7. & 87. Henrici. lib. 12. c. 2. n. 1. in comment. Lessius lib. 4. c. 3. num. 68. in 2. edit. Thom. Sanchez. lib. 7. disp. 17. numero 8. alios referens. Basil. Ponce, lib. 7. c. 14. in fine. Coninch. disp. 30. dub. 3. numero 25. Galp. Hurtado disputat. 2. 1. diffinit. 1. n. 6. Paul. Layman. lib. 5. summat. 10. 4. p. cap. 1. in fine. afferunt consuetudine hæc impedimenta sublata esse, siquidem videntibus, nec contradicentibus Prælati plures aliquo ex his impedimentis ligati contrahunt matrimonium nullâ dispensatione petita, adeo ut Nau. dicat se non meminisse alicuius qui prædictam dispensationem postulat. Quod si aliquis ob maiorem securitatem eam dispensationem vellet habere ad Episcopum recurrat, qui pœnato iure antiquo, quod in hac parte immutatum non est eam concedere potest, teste Nauarr. lib. 4. conf. 9. num. 5. de consanguin. Paul. Laym. d. c. 15. in fine. Sanchez. & Lessio supra.

PUNCTVM III.

Quæ sint impedimenta dirimentia, & quam obligationem inducant?

- 1 Statuuntur impedimenta dirimentia.
- 2 Mortale peccatum aduersus illam virtutem, in cuius honorem statuitur impedimentum, committit contrahens aliquo impedimento ligatus.
- 3 Ultra prædictum peccatum committitur sacrilegium aduersus Sacramentum matrimonij.
- 4 Excusatus à prædicto peccato, si metu contrahas absque animo consummandi.
- 5 Quando copula habita ab his qui matrimonio impediti sunt, continet malitiam distinctam à fornicatione.

Impedimenta dirimentia matrimonium etiam pœnato nouo Conc. Trident. iure ad hos versus reduci possunt.

Error, conditio, votum, cognatio crimen.
 Cultus disparitas, Vis. Ordo, ligamen. honestas:
 Si sis affinis, si foris cõue negabis:
 Si Parochi, & duplex desit presentia testiu:
 Rapere si mulier, nec parvi reddita ruce.
 Hac socianda vetant, commibia facta retrahant.

Certum est apud omnes te graue peccatum commissurum, si aliquo ex his impedimentis ligatus velis matrimonium

Ferd. de Castro. Sum. Mor. Part. V.

